

sibus γονορροίας loqui, ut totus, orationis contextus i-  
bi ostendit.

§. 39.

Alter locus, quo utuntur, (sive potius abutun-  
tur) Pontificii, habetur *1. Reg. 21. vers. 4. & 5.* ubi no-  
luit Abimelech Sacerdos dare Davidi propositionis  
panes comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab  
uxore aliquandiu abstinuisse ex quo colligunt, u-  
sum legitimi conjugii adferre aliquam contamina-  
tionem, quæ à rebus divinis cōjugatos avocat.

§. 40.

Resp. Variæ rationes contaminationis à mu-  
lieribus traduntur in lege Mosi, ut in puerperio, &  
aliis casibus: nusquam autem lex dicit, usum le-  
gitimi conjugii, reddidisse hominem immundum.  
Nam & ipsi Sacerdotes in V. T. (qui singulis diebus  
mane ac vesperi jubebantur Domino offerre sacrifi-  
cium, *Exod. 29. v. 38.*) quia erant conjugati, & libe-  
ros generabant, *Num. 28. v. 3.* non potuissent panes  
propositionis manducare.

§. 41.

Porro in Nov. Test. sibi inservire putant locum.  
*1. Cor. 7. vers. 28. 32. & 35.* in quo etiam potissimum  
victoriæ partem collocant, quando nim. Paulus va-  
rias causas recenset, quod coelibatus conjugio sit  
præferendus, nimirum quia *I. Conjugati afflictionem  
in carne sint habituri: juxta vers. 28.*

§. 42.

Resp. I. disting. inter vitia Personarum & sta-  
tuum, multa enim in *Personis* sæpius vitia inveniun-  
tur, quæ tamen propterea *Statibus*, divinitus ordina-  
tis, imputari nequeunt.

C 3

§. 43.